

107e

T. o. 590.

Fortunante CHRISTO!

EXERCITATIONUM ETHICARUM
ad Lib. III. Ethic. Nicom. Arist.

TERTIA,

DE

PRINCIPIIS
ACTIONUM
MORALIUM.

PRÆSIDE

DN.

FRIDERICO CAHLENO

M. & P. L. C. Gymnasii Hallens.
Rectore.


RESPONDENTE

LAURENTIO SCHWANTÆO,
Colberga-Pomerano,

P. P.

D. XX. Decembr. A. O. R. C M D C LV.

H. L. Q. S.



Prelo SALFELDIANO.

Munitissimæ, Florentissimæq; Civi-
tatis COLBERGÆ Pomerano-
rum PATRIÆ

PATRIBUS,

VIRO

*Amplitudine, Gravitate, Multaq; rerum Poli-
ticarum Experientiâ celeberrimo*

Dn. LAURENTIO Heitfen/
jam Consuli per ipsos quadraginta, &
quod excurrit annos de PATRIA optimè meri-
to Seni, Dn. Avo suo æviternum de-
venerando.

ut &

*Nobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo
Viro*

Dn. JOHANNI Prißen/
Consuli ejusdem inclutæ Reip. Colberg.
gravissimo meritissimo, Dn. Mecœnati ac
Promotori maximo.

*Primitias hasce studiorum in debita gra-
titudinis tesseram & ulterioris promotio-
nis incitamentum humillimè offerre*

Laurentius Schvvanæus, C.P.
Respondens.



ΘΕΟΥ ΜΕΓΑΛΟΙΟ ΕΚΗΤΙ!

ΠΡΟΠΑΙΔΙΑ ΑΝΑΛΥΤΙΚΗ
PARTIS PRIORIS LIBRI III.
ETHIC. ARIST. PER V. CAPP.

PRIORA.

Philosophus noster, explicatis Libro II. causis remotis virtutis, nunc Libro III. pergit ad causas propinquas ejusdem investigandas, quæ sunt actiones spontaneæ à consultatione & electione liberâ profectæ, quæ Doctrina sanè in morali Philosophiâ nobilissima & utilissima putanda est. De his Aristoteles partim proponit, partim concludit. Propositio continet Principium actionis vel primarium, quale est Spontaneum, cujus ponit tum definitionem, tum affectiones. Illa datur vel respectivè, & quoad oppositum, quod est involuntarium, quod duplex, vel per ignorantiam, vel per violentiam; vel absolute, quid sit voluntarium. Cap. I. Vel secundarium, idq; vel consequens, ut Electio; vel antecedens, ut Consultatio. De illius

A 2

agit

agit naturā explicando genus, tam remotivè, &
 quidem vel respectu facultatis ὀρετικῆς, seu appe-
 titus, tum irrationalis, quòd Electio non sit ἐπι-
 θυμία seu cupiditas, neq; θυμὸς, seu ira: tum ra-
 tionalis, quòd non sit voluntas: vel respectu fa-
 cultatis γνωστικῆς seu intellectus, quòd non sit
 opinio, tum positivè; quòd Electio sit sponta-
 neum prius deliberatum. Cap. 2. Antecedens est
 Consultatio, de qua agit partim ὀριστικῶς seu de-
 finitivè, partim ἀσπετικῶς distinctivè. Illo modo
 vel quoad objectum, idq; tum negativè, quòd
 non sit deliberandum de iis, quæ à nobis mutari
 nequeunt, qualia sunt Divina, naturalia, prate-
 rita, fortuita, aliena & impossibilia: tum asserti-
 vè, quòd de iis, quæ sunt ἐν ἡμῖν, sive in nostrâ
 potestate sita, & per nos effici possunt: vel quoad
 modum tum ratione finis, qui presupponendus,
 tum ratione mediorum, de quorum agit tum
 numero & qualitate, tum delectu. Cap. 3. Διαπετι-
 κῶς assignat differentiam partim inter Consulta-
 tionem & Electionē, ut & inter hanc utramq; &
 Voluntatem, de quâ tractationem annectit tum
 per θεῶν. explanando objectum, quòd voluntas
 versetur circa verum & apparens bonum; tum
 per ἀντιθεῶν, refutando partim Stoicos, qui solum
 verum

verum bonum, partim Academicos, qui solum
 apparens bonum statuerunt objectum voluntatis.
 Cap. 4. Vel Concludit hanc doctrinam tum re-
 petendo suam de spontaneo & libero arbitrio
 sententiam, tum rejiciendo contrariam Platoni-
 cam, quasi nemo spontè bonus vel malus sit.

Nos pro captu Discentium difficilem hanc Do-
 ctrinam per precipuas singulorum Capitulorum the-
 ses explicando pertractabimus: quod ut ex voto
 fiat, faxit Ens illud liberrimum, Deus benedi-
 ctus in secula!

CAPUT I.

THESIS I.

Philosophus moralis debet agere de
 actionibus virtutis & earum adjun-
 ctis: potissimum verò de voluntario &
 involuntario.

ENJECTIS.

Quia actiones voluntariæ solum sunt actio-
 nes virtutum, quibus consequimur finem
 practicum scilicet Summum Bonum civile.

2. Quia hæ solæ sunt laudabiles vel vitupera-
 biles. 3. Quia utilis est hæc doctrina Legum-

latoribus & civitatum rectoribus in constituendis præmiis & poenis: illa quidem laudabilibus, has verò vituperabilibus actionibus, & quidem voluntariis ut rectè tribuat.

THESES. II.

O Mne factum aut est spontaneum, aut invitum.

ἐκ θεοῦ.

Distingvuntur actiones morales vel ratione *cognitionis*, prout fiunt à scientibus vel ignorantibus: vel ratione *voluntatis*, quatenus fiunt vel à volentibus, unde existunt actiones voluntariæ seu spontaneæ; vel à non-volentibus aut invitis, unde dicuntur ipsæ quoque actiones invitæ aut coactæ, quæ interdum etiam vocantur violentæ.

THESES. III.

Hinc natura spontanei & inviti cognoscenda probè est ex utriusque Definitione.

ἐκ θεοῦ.

Definit Philosoph. illud hoc cap. τὸ ἐκ θεοῦ ὄν ὅτι, ὃ ἢ δέχῃ ἐν αὐτῷ εἶδόν τι καθέκαστα ἐν οἷς ἢ πρᾶξις. h. e. Spontaneum est, cuius principium est in ipso

ipso agente & sciente singulas actionis circumstantias. Sive singula in quibus est ipse actus: Hoc verò quia duplex est, vel τῆ βία, id est per violentiam, vel τῆ ἀγνοία, id est per ignorantiam: ideo invitum per violentiam (*violentum*) paulò post ita describit. τὰ βίαιόν ἐστιν, ἃ ἡ ἀρχὴ ἐξωθεν τοιαύτη ἔσται ἐν ἣ μὴδὲν συμβάλλεται ὁ πατήρων ἢ ὁ παχων, h. e. *violentum est, cujus principium est extra agentem, & nihil conferentem adjuvanti ad illam actionem.* Differunt igitur tanquam principium internum & externum, spontè motum & non spontè motum.

THESES. IV.

Actionis violentæ tria sunt requisita.

ἐκθεσις.

1. Ut principium & causa movens sit extra agentem. 2. Ut principium illud sit satis validum ad vim inferendam, & motum perficiendum. 3. Ut agens vel patiens nihil planè adjuvanti conferat ad actionem, illamq; promoveat.

THESES. V.

Dantur actiones quædam mixtæ, seu mediæ, quæ tamen magis sunt voluntariæ, quàm invitæ.

A 4

ἐκθεσις

Quia *Violentum duplex* est, vel *absolutè & simpliciter* tale, vel *secundum quid*, quando majoris boni spe, aut majoris mali metu ad aliquid faciendum impellimur: ut projectio mercium evitandi naufragii causâ: aut promissio pecuniæ latroni facta pro vita redimendâ. Tales posterioris generis actiones *magis sunt voluntariae, quàm violentæ*, i. quia earum fines & circumstantiæ sunt in nostrâ potestate & electione. Nemo enim volens malum eligit, sed potius bonum. Et licet tunc voluntas non sit planè libera, tamen quia agens optionem habet faciendi, aut non faciendi, iccirco dicuntur voluntariæ. Si quidem coacta voluntas etiam dicitur voluntas, secundum J. C. tos. 2. Quia harum actionum principium, est in ipso agente. Potest enim membra corporis movere & non movere. 3. Quia actiones illæ considerandæ sunt non in se, sed ratione finis, aut temporis, quo peraguntur.

THES. VI.

Actiones mixtæ ad quatuor classes
possunt revocari.

ex Jeros.

Vel enim sunt *laudabiles* vel *vituperabiles*.
Ille quando ob magnum aliquod bonum
 consequendum, indecorum aliquid, non ta-
 men planè inhonestum, admittimus, quale
 fuit Solonis, infaniam simulantis, factum, ab-
 rogandæ legis perniciosæ causâ: item Zopy-
 ri faciem deturpantis, prodendæ urbis Baby-
 lonis causâ, &c. *He*, quando exigui alicujus
 commodi causâ turpe aliquid committimus,
 ut Esavi, jus primogenituræ vendentis fratri
 propter pulmentum, Gen. 25. vers. 29. & seq.
 Deinde vel sunt *excusabiles* vel *inexcusabiles*.
Ille quando quis indecorum admittit gravis-
 simis adductus causis, ut servus in gravi tortu-
 râ prodens heri sui secreta. *He*, quando quis
 vel in aliorum gratiam, vel evitandi supplicii
 aut mortis causâ facinus in se admittit, ut si
 quis metu exilii aut mortis fidem & religio-
 nem abneget. Vel pecuniâ corruptus prodat
 patriam, falsum dicat testimonium, &c.

THES. VII.

Actiones ex affectu profectæ non sunt
 invita.

A 5

ex Jero

Quia aliâs nihil spontè fieret. 2. quia aliâs etiam honesta quæ interdum ex affectu fiunt, possent dici invita, vel ab invitis facta, quod tamen absurdum. 3. quia omnes ejusmodi actiones essent molestæ, & conjunctæ cum dolore. 4. Nulla quoque esset hac ratione distinctio inter invitum & spontaneum. 5. quia actionum, quæ ex affectu proficiscuntur, principium est in ipso agente: ergo non sunt invitæ.

THES. VIII.

Jucunda non sunt violenta: nec Voluptas cogit hominem ad peccandum.

Quoniam aliâs sequeretur, omnes actiones esse violentas, siquidem nulla actio voluntaria est sine jucunditate & voluptate. 2. Sequeretur, idem simul violentum & jucundum esse posse, quod absurdum. 3. Quia ad voluptatem ultrò ferimur, & sine coactione. 4. Quia denique actionum ex voluptate profectarum principium non est externum, sed internum.

THES. IX.

DE mixtis actionibus rectè judicare,
difficile est.

ἐκ θεοσις.

Quia non facilè dignosci potest, quæ magis bona, quæ minus bona sit, cum sæpè ex affectu æstimentur. 2. quia ignoratur eventus actionum. 3. Magna insuper est inconstantia voluntatis humanæ, & 4. magna varietas circumstantiarum.

THES. X.

Non omnis ignorantia reddit factum
invitum.

ἐκ θεοσις.

Refertur quidem ad invitam actionem ignorantia, sicut ad spontaneam requiritur non solum voluntas, sed & notitia agentis. Interim non quævis ignorantia facit, ut factum possit dici ἀκρίτου seu invitum; alioqui omnis ignorantia quoq; mereretur veniam & excusationem, quod falsum. Sed ἀγνοια ἑπίλυπτος, sive quam sequitur dolor ac pœnitentia, quâ indicat agens, quem errati sui pœnitet, se præter animi propositum & voluntatem egisse; quæ

quæ & veniam meretur ac excusationem: altera verò ἀλυπτος, i. e. quam non sequitur poenitentia, non itidem invitum reddit factum, nec meretur veniam, eò quòd indicium sit, agentem non prorsus à facto suo abhorruisse.

THESES. XI.

Aliud est ignorantem peccare, aliud per ignorantiam.

ἐκθεσις.

Quia ignorans agere dicitur is, qui in agendo occupatus ignorat quidem, quid agat, sed tamen illa ignorantia nō est causa malæ actionis, sed aliud quiddam, quod ignorantiam illam induxit. v. g. cum aliquid per ebrietatem designatur, ipsa & peccati & ignorantiae causa est, non verò ignorantia illius est causa. Et hæc veniam non meretur: quia suâ culpâ agens sibi ignorantiam attraxit. Per ignorantiam verò agere dicitur, cui ignorantia est causa pravæ actionis: & hæc meretur veniam, si subsequatur poenitentia.

THESES. XII.

Ignorantia alia est universalis & iuris, alia singularis & facti.

ἐκθε-

ἔκθεσις.

Ignorantia τὴ καθόλου seu universalis est, quando agens ignorat ea, quæ maximè scire debebat, tunc quando ignorat finem actionis suæ, & hæc non facit actionem invitam, nec meretur veniam, quia Ignorantia propriè non est causa perversæ actionis, sed potius perversa agentis voluntas, qui noluit scire, quæ potuisset, & debuisset: cum agere sine fine & scopo stultum, temerarium, & culpandum sit. Ideò dicitur *ignorantia crassa, supina, & affectata*. Ignorantia verò *singularis*, ἢ καθέκαστα seu facti est, quando agens ignorat quasdam facti circumstantias ut in quibus actionis vis præcipuè consistit. De quibus versus: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*. Et hæc propter varietatem circumstantiarum meretur excusationem, si 1. caret dolo, 2. non fuit nostrâ culpâ attracta. 3. Subsequentem habet ex peccato poenitentiam.

CAPUT II.

THES. XIII.

DE Electione etiam agendum in
Ethicis.

ἔκθεσις.

Quoniam ea maximè conjuncta est cum actionibus virtutis. 2. Maximè indicat mores hominum, quales illi sint. Nam actiones sæpè sunt simulatae & hypocriticae, adeò ut vir malus à bono interdum aegrè possit discerni. Multi enim sunt, qui gestant vapidam tacito sub pectore vulpem, Poëtae verbo. Sed ex προαιρεσει mores magis possunt cognosci. 3. Quia virtus ipsa per Electionem definitur, quòd sit habitus προαιρετικός seu electivus.

THES. XIV.

Spontaneum & Electio differunt tanquam latius & angustius.

ἐκθεσις.

Id quod ex utriusq; definitione & objecto liquet. Quid sit spontaneum, ex superioribus patet. Electio ab Aristotele hoc cap. sic definitur: προαιρεσις ὅτιν ὄρεξις βουλευτικὴ τῷ ἑφ' ἡμῖν. i. e. *Electio est prameditata appetitio eorum, quae in nostrà sunt potestate, aut per nos possunt fieri.* Cap. 3. Vel sub fin. hujus cap. προαιρεσις ὅτιν ἐκείσιν προβεβουλευμένον, *Est spontaneum prius deliberatum.* Omnis igitur Electio est Spontaneum,

aneum, sed non vice versâ. 2. Quia electio tantum tribuitur hominibus adultis, qui tantum certo animi consilio aliquid agunt: spontaneum verò etiam pueris & bestiis potest cõpetere. 3. Quia Electio non tribuitur repentinis actionibus, quæ sine deliberatione fiunt; spontaneum verò his etiam potest tribui.

THESES. XV.

Electio non est cupiditas seu ἰσχυρία.
ἐκ θεοῦ.

Quia cupiditas est communis homini cum bestiis. 2. Incontinens ex cupiditate agit, sed non ex electione. 3. Cupiditati non adversatur cupiditas, scil. simul & eodem tempore, sed electio. 4. Quia deniqve electio & cupiditas versantur circa diversa objecta. Electio enim versatur circa honesta & turpia; cupiditas verò circa jucunda aut molesta.

THESES. XVI.

Electio non est ira sive θυμός.
ἐκ θεοῦ.

Quia quæ ab irato fiunt, deliberationem non admittunt, nec moram patiuntur: Electio verò conjuncta est cum deliberatione, & consilio,

filio, ut & aliquâ temporis morâ. Iccircò sicut iratus agit inconsultò, ita ex Electione agens agit consultò.

THES. XVII.

Electio non est voluntas sive βέλησις.
ἐκθεσις.

Licet magnam habeat cum voluntate cognitionem, nec ab illâ unquam planè possit separari; tamen non est prorsus eadem cum illâ: 1. Quia voluntas est etiam rerum impossibilium; electio verò non: siquidem impossibilia, prout infra docebitur, non cadunt sub deliberationem. 2. Quia est etiam earum rerum, quas ipsi nec agere possumus, nec volumus: electio contra est tantum illarum, quæ ad nos pertinent, & per nos effici posse putantur. 3. Quia deniqve voluntas respicit finem, Electio verò media.

THES. XVIII.

Electio non est opinio sive δόξα, nec communis, nec specialis.

ἐκθεσις.
Quia opinio communis versatur circa omnia, etiam non existentia. Electio verò tan-



tantum circa agibilia. 2. Opinio æstimatur
 veritate vel falsitate; Electio verò bonitate &
 pravitate. 3. propter opinionem nemo dici-
 tur bonus aut malus, uti propter Electionem.
 4. Opinio est rerum incertarum, Electio ve-
 rò certarum, &c.

CAPUT III.

THES. XIX.

UT Electio recte se habeat, debet eam
 præcedere consultatio.

ἐκθεσις.

Quia vir bonus & prudens nihil temerè
 aut inconsultò agere aut aggredi debet. Est
 autem *Consultatio* definiente Philosopho:
 βάλεισις ὅτιν ἡ ψυχῆς λογισμὸς περὶ τὰ πρακτῶν,
 i. e. est *ratiocinatio*, (sive actus intellectus) de
mediis ad finem in agendo acquirendum propor-
tionatis. Est igitur *Consultatio* actus intelle-
 ctus, qui est principium productivum consul-
 tationis. Non verò est ea circa finem, qui de-
 bet esse prævolitus & constitutus, sed circa
 media, fini illi convenienter inservientia, &
 quidē beneficio recte rationis, ut consiliativæ.

B

THES.

Non licet consultare de omnibus re-
bus promiscuè.

ἐκ θεοῦ.

Quia de iis, quæ à nobis mutari nequeunt, ineptè consultatur. 2. Neque consultandum est de *rebus Divinis*, quæ non sunt vocandæ in dubium; quæq; in potestate nostrâ non sunt. 3. Neque de *naturalibus*, quæ semper eodem modo fiunt, nec à nobis possunt impediri, ut Solis conversio, Lunæ decrementsa &c. vel quæ aliter atq;ve aliter eveniunt, licet à causis necessariis dependeant, ut imbres, nix, siccitas &c. 4. Neq; de *incertis & fortuitis*, quæ præter intentionem eveniunt, & casu, ut inventio thesauri. 5. Neque de *alienis*, quæ non sunt in nostrâ potestate, quæq;ve per nos non possunt effici. Nemo enim v.g. deliberat ex Germanis, quomodo Russi bellum contra regnum Poloniae possint continuare. 6. Neq; de *preteritis*, cum ne Deus quidem factum infectum reddere queat: implicaret enim contradictionē: contradictoria verò sub Dei omnipotentia non cadunt. 6. Neq; de *singularibus*, quæ in se
sunt

sunt manifesta & sub sensum cadunt, ut: sitne hoc panis & probè coctus. Neq; 8. de *finibus*, quatenus talibus; neq; 11. Medicus consultat, an debeat sanare, nec orator, an persuadere, nec Grammaticus, an emendatè loqui & scribere debeat. Sed omnes in agendo constituti finem, cuius gratiâ agunt, habent præsuppositum, de iis tantum, quæ illi feliciter consequendo inservire posse videantur, deliberâtes.

THESES. XXI.

Deliberandum igitur est de iis, quæ sunt ἐφ' ἡμῶν, i. e. in nostra potestate, & consequendi ac efficiendi facultate posita, nonnihil tamen dubia & incerta.

ἐν Θεσις.

Quia talia possunt vel mutari, vel declinari.
2. quia, teste experienciâ, multa humanitùs possunt fieri, aut omitti adhibitâ maturâ deliberatione. 3. quia quæ statim sunt obvia, & indubitata, ea nullâ opus habent præviâ deliberatione: Quæ verò impossibilia sunt nobis, ut consequamur, de illis stultum foret, consultando laborare.

B 2

Thes.

IN consultando certa observanda sunt
Præcepta, tam initio, quàm in medio
ac fine consultationis.

ἐκθεσις.

Circa initium notandæ regulæ: 1. In rebus
gravibus & arduis adjungendi sunt σύμβουλοι,
h. e. consiliorum socii, nimirum viri boni &
prudentes. Nemo enim tantum sibi tribuat,
ut omnia se solo dijudicari & confici posse ar-
bitretur. Oculi quippe plus vident, quàm ocu-
lus. 2. Certus aliquis finis praconstituendus est,
ad quem tota dirigenda consultatio: quia aliàs
tota illa esset vaga & incerta, imò infinita &
frustranea.

IN ipsâ Consultatione respiciendum est
ad mediorem quantitatem seu nume-
rum, & qualitatem sive delectum.

ἐκθεσις.

Quoad numerum videndum, an unum suffi-
ciat fini consequendo, an pluribus sit opus. Et
si, quodnam sit conducibilius & facilius inter
illa, donec tandem perveniamus ad id, quod
inven-

inventione ultimum, executione verò primum fit. Si verò unum suffecerit, non quaerenda sunt plura: juxta illud: *Quod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura. Quoad qualitatem*, videndum quæ media sint possibilia, quæ impossibilia, quæ facilia, quæ difficilia, quæ honesta, quæ inhonesta aut illicita. Priora debemus amplecti, posteriora fugere: Nam per *mala media ad honestum finem contendere non licet. Nec negligenda instrumenta*, tanquam causæ cooperantes actionum, sive sint *ἔμψυχα* seu animata, ut amici, servi, jumenta &c. sive *ἄψυχα*, seu inanimata, ut securis, malleus, gladius &c. Postremum verò inconsultatione est, ut quæ probè deliberata sunt, maturè & absq̄, morâ exsequamur.

THES. XXIV.

Consultatio & inquisitio differunt inter se.

ἐνθεσις.

Idq̄; trifariam. 1. *Latitudine*. Omnis enim Consultatio est etiam inquisitio, sed non contra. 2. *Objectis*. Inquisitio potest esse cujusvis rei scibilis aut agibilis: sed consultatio est tan-

tum de rebus agibilibus. 3. *Fine.* Inquisitionis finis est scientia & rei quæsitæ cognitio: sed Consultationis finis est actio.

THES. XXV.

Consultatio & Electio quoque ab invicem differunt.

ἐκ δευτέρου.

1. Differunt *materia*. Non quidem quoad rem, sed quoad rationem. Quia eadem res, quæ sub deliberationum cadit, postquam discussa fuit, etiam cadit sub electionem. Quoad rationem tamen differunt, quia materia deliberationis est adhuc incerta & dubia: Electionis verò certa & determinata. 2. *Tempore.* Ordine naturæ Consultatio prior est, Electio posterior. 3. *Officio.* Consultatio dirigit: Electio exsequitur. 4. *Subiecto.* Consultatio pertinet ad partem animæ cognoscentem; Electio verò ad appetentem.

THES. XXVI.

Consultatio & Electio differunt non solum à se invicem, sed etiam à voluntate.

ἐκ δευτέρου.

ἐκ θεοῦ.

Illæ namq; sunt circa media: sed voluntas simpliciter est circa finem, quem tanquam bonum volumus.

CAPUT IV.

THESES. XXVII.

DE voluntate in Ethicis etiam est agendum.

ἐκ θεοῦ.

Quia voluntas sine προαίρεσις esse nunquam potest. Omnia enim quæ eligimus, ea etiam volumus. Iccircò voluntas rectè & quidem præcipuè refertur inter actionum moralium principia. 2. Quia actiones morales æquè æstimantur ex voluntate ac ex Electione. Actio enim recta non est, nisi recta fuerit voluntas, teste Senecâ. 3. Quia vel sola voluntas benè aut malè agendi non minus sæpè laudatur aut vituperatur, ac ipsa actio bona vel mala.

THESES. XXVIII.

Objectum Voluntatis est τὸ ἀγαθὸν BONUM, sive illud verum sit, sive apparens seu φαινόμενον.

B 4

ἐκ θεοῦ.

ἐκθεσις.

Patet hoc ex Definitione Voluntatis ab Aristotele positâ: Βέλησις ἐστὶ τῶ ἀγαθῶ, ἢ φαινομένῳ ἀγαθῶ μὲν λόγῳ ὄρεξις. *Voluntas est BONI vel veri vel apparentis cum ratione appetitio.* Accipitur autem Voluntas h. l. *non physicè*, pro ipsâ animi facultate, quæ intellectui contradistinguitur: & est principium productivum duorum actuum oppositorum, quorum unus est velle, seu appetere, alter nolle seu averfari. *Sed ethicè*, pro actu secundo appetendi, quatenus opponitur actus nolendi, fugæ aut odii. Nam quod averfamur, id non dicimur velle, licet ad voluntatem, ut physicè pro facultate animæ accipitur, etiam pertineat. Fertur igitur voluntas in bonum tanquam sibi conveniens, non in malum, id quod inductione & experientiâ probari facilè potest. Nemo enim sanæ mentis vult malum, quatenus malum: siquidem malum est φθαρτικὸν sive corruptivum aut destructivum eius, cui inest.

THES. XXIX.

Non tantum appetitur verum, sed etiam apparens bonum.

ἐκθεσις

ἐκ θεοῦ.

Si illud solum appeteretur, sequeretur 1. etiam malos homines appetere verum bonum. 2. Neminem posse mala velle. 3. Nullam voluntatem esse malam, imò nullos homines malos, quod absurdum. Si verò hoc; sequeretur, 1. nihil suâ naturâ esse bonum aut expectandum. 2. voluntas non haberet certum objectum propositum; modò enim revera malum, modò revera bonum appeteret. Addit verò Aristoteles hoc loco distinctionem quoad *Objectum Voluntatis*, quod duplex facit vel *ex parte rei*, & ita dicit esse ipsum verè absolute & ex naturâ suâ tantum bonum: *Vel ex parte hominum*; & sic posse quoq; esse bonum apparens. Verum igitur bonum ab homine bono appetitur, quia in illo est verum & rectum iudicium, à quo dirigitur deinde voluntas. Apparens vero bonum ab homine malo appetitur, quia per voluptatem depravatum habet iudicium.

CAPUT V.

THES. XXX.

Actiones humane sunt in hominis arbitrio,

B 5

trio,

*trio, ita ut unusquisque sponte bonus vel
sponte malus dici possit.*

ἐκ θεοῦ.

Refutat Aristoteles Platonem hoc cap. asserentem, neminem sponte malum esse, his rationibus: 1. Quia actionum principia & causæ sunt in hominis potestate & arbitrio. Potest enim finem velle & non velle, media itidem: ergo si causa est voluntaria, etiam effectus erit voluntarius. 2. Quia turpe agere est in hominis voluntate, E. etiam honeste agere. 3. Quia aliàs frustra ferrentur leges, omnisque institutio & disciplina frustra susciperetur. 4. Quia iniuste plecterentur fontes. Et culpandus quoque esset Pittacus, qui duplicem poenam decernebat in ebriosos, unam titulo ebrietatis, alteram titulo ignorantiae.

THES. XXXI.

Malus non potest excusari ob corruptam phantasiam.

ἐκ θεοῦ.

Quia actiones singulae sunt in potestate ipsius: actus non sunt, sequitur ab invitis fieri, quod est absurdum. 2. Quia si quis dicat, se nescire, velle,

visse, quod malis actibus mali acquirantur habitus, adeoq; veniã dignum se ob illam ignorantiam putet, demens ac insipiens sit necessum est.

THESES. XXXII.

Actiones mala, licet à malo sint habitu, non sunt necessaria.

EX DEOIS.


Malorum quidem & ex malo habitu agentium, confirmato illo habitu, necessario sunt malæ actiones, non tamen in se sunt necessaria; quia principium illius mali habitus est ex malis actionibus, quæ erant voluntariæ. 2. quia ut illi, qui morbis laborant, non possunt excusari intemperantiã, quã sibi morbos attraxerunt: ita nec malæ actiones, ex malis habitibus provenientes, necessitate quadam se tueri & excusare queunt.

THESES. XXXIII.

Ex dictis colligitur, virtutes esse mediocritates ex crebris actionibus comparatas, in potestate nostrã sitas.

EX DE-

Quia Principium habitus est Spontaneum. Quo ipso declarato Philosophus noster transit in particulari ad tractandas Virtutes Capitibus reliquis hujus Libri Tertii, de quibus Nos sequenti Exercitatione *Ἐν Θεῷ* acturi sumus: hinc modò pausam facientes. Et sub-
jicientes



CONSECTARIA PAUCA.

I. Homo habet actuum suorum humanorum libertatem.

Neq̄ enim Dei præscientia, neq̄ fati immutabilitas, qualem Stoici confinxerunt, necessitatem illis infert: sicut nec Astrologus præcognitione suâ aliquam Eclipsibus necessitatem infert: sed quia ipsa futura sunt ex causis naturalibus, ideò easdem prævidet. Pariter præscit Deus nostras actiones, quia nos sic eligimus: non verò ita agimus, quia sic præcognoscit Deus. Fatum verò nihil aliud esse dicimus, quàm legem à naturâ universali constitutam, aut potius piè loquenda, generalem Dei providentiam. Sicut ergò, quæ

natis-

naturâ sunt, non semper sunt necessariâ; ita nec
 quæ fato fieri dicuntur, necessariò fieri putanda
 sunt. Intelligimus verò actus merè humanos, &
 civiles: nam in merè spiritualibus hominem nul-
 lam habere libertatem arbitrii facilè largimur.

II Bruta non sunt voluntaria.

Quia voluntas est facultas animæ rationalis.
 Bruta igitur non dicuntur velle, sed instigari à
 naturâ. Scalig. Exerc. 33. sect. 4.

III. Puerorum nulla est Electio.

Intellige actu secundo. Quia ratio non ope-
 ratur, nisi præviis phantasmatis, quæ in pue-
 ris nondum inveniuntur. Insuper distinguen-
 dum est, inter communem quandam & analo-
 gicè dictam electionem, quæ fit ductu sensuum;
 & specialem seu propriam, quam consilium
 præcedit & iudicium rationis dirigit: hæc desti-
 tuuntur pueri, licet non illâ.

IV. Voluntas cogi non potest.

Putâ in actibus elicitis: Licet cogi possit in
 actibus imperatis. Quia omnis actus volunta-
 tis elicitus est vel boni vel mali volitio: neuter
 autem potest coactus & violentus esse. Ergo nec
 à Deo nec à creaturâ cogi potest: cum sit secun-
 dum

dum inclinationem natura & voluntatis ipsius.
 Sed quoad actus imperatos cogi potest, quando
 v. g. membra exteriora impediuntur, ne pareant
 voluntatis imperio, quod fieri potest. v. g. si quis
 volens ambulare conjiciatur in carcerem, & liga-
 tis pedibus, impediatur, ne ambulet. Plura in ipsa
 συζήσεσι movebuntur.

V. Inter velle & nolle datur medium.

Multa enim nec absolute volumus, nec etiam
 volumus, sed ob certam aliquam causam permit-
 timus, qualia exinde nos non velle recte
 dicimur.

TANTUM.

~~os da os da : os da os da os da : os da os da~~

Actio virtutis quæ libera, quæq; coacta,
 Ex quo Principio singula facta fluant:
 Hoc ferme caput est morali scire Magistro,
 Nescius aut horum cauda pudenda sophum.
 Hinc ne cauda fores olim, SCHVVANTÆE, SO-
 phorum,
 Has Ethicas placuit discutiisse Theses.
 Spontè bonus pergas Virtutis & arbiter esse :
 Sic eris haut patriæ cauda pudenda tuæ.

Ita ominabatur votivus

PRÆSES.

Eli.

Elige, Consulta, Spontalis sitq; voluntas,
 Utile coeptanti sic Tibi surgit opus.
 Hoc Schvvan̄teus agit Phoebi calidissimo ardor,
 Quiq; est Aonii pars Studiofa Chori;
 Elegit Clario saturari munere, promptum
 Consilium studiis, estq; lubido tenax
 Nervo si perget majore parare, paratum
 Solerti surget quod cupit artis opus.

*Ex Φρενῶν μυχῶ, indolis laude, &
 morum probitate commendabili Ju-
 veni, cum voto incrementi in studiis
 altioribus calidissimo, L. m. q. addeb.*

M. Johann Cammerhof,
 Gymn. Hall. Sax. Conrect.

Ornatissimo ac Literatissimo

Dno Laurentio Schvvan̄tæo,
 amico exoptatissimo.

Elige quid facias, opus at quid dispice factu;
 Appete sponte ethicum cum ratione bonum.
 Si Schvvan̄tæe tibi modò sic disponere agenda
 Perges, non dubito quin bene cedat opus.


τῆς Φιλίας ἔνεκα ε.

V. P. LL. St.

Est

Est aliquid duri Mavortis facta tenere,
 Nosse & quo soleant committi praelia more:
 Est aliquid remo spaciosos scindere fluctus,
 Aque solo patrio longinquas visere terras.
 Ast Heliconiadum sacra qui lustrare roseta
 Instat, & assiduam Musarum flagrat Orexi
 Doctarum, laudis famaeque; hunc clara manebunt
 Nomina, non ullo morietur temporis aevum.
 Ethica degustans laudem Schvwantae parabis
 Eximia, studio modo Phoebi insistere pergas!
 Surget honos ingens, sic gloria maxima surget,
 Quod Schvwantae tibi iam mente precatur
 aperta.

*Martinus Rampoldus,
 Glogoviam-Sil.*



65604


Handwritten text, possibly a title or description, partially obscured by the label.

ULB Halle
007 397 542

3




VD 17





Fortunante CHRISTO! 4
 XERCITATIONUM ETHICARUM
 ad Lib. III. Ethic. Nicom. Arist.
 TERTIA,
 DE
PRINCIPIIS
ACTIONUM
 MORALIUM.
 PRÆSIDE
 DN.
FRIDERICO CAHLENO
 M. & P. L. C. Gymnasii Hallens.
 Rectore.
 RESPONDENTE
AURENTIO SCHWANTÆO,
 Colberga-Pomerano,
 P. P.
 MD. XX. Decembr. A. O. R. c l o l o c l v.
 H. L. Q. S.



Prelo SALFELDIANO.

